



NOVA POSONIENSIS.

ANNO CHRISTI MDCC XXII.

DIE XXVII MAII.



Neapoli, a. d. 28. Aprilis.

Cum nuper duo principes Bavarici Romam redirent, a Pro rege nostro duo nobilissimi equi cum læna muneri eis

dati fuerunt. Navis quædam piratica, ad littora nostra nuper accedens, duos piscatorum lembos spoliavit, quod cum comperissent rei nauticæ præfecti, naues aliquot triremes ad eam persequendam miserunt.

Ex Portu Liburno a. d. 1. Maji. Ex litteris Genua allatis intelleximus, Massiliæ tumultum fuisse coortum, plebemque furibundam in ædes consulis Genuensis impetum fecisse, eo quod eum Principibus Italicis perscripsisse suspicabantur, pestem in ea vrbe denuo grassari cœpisse. Ex Hispania accepimus

complures naues bellicas atque triremes, Gadibus in mare mediterraneum breui exituras esse, vt Portum Longum muniant.

Genua, a. d. 2. Maij. Ex insula Corsica nuntiatum nobis est, nauem quandam eiusdem gentis, myoparone Tunetano in quo viginti piratæ turcici fuerant potitam esse. Pari modo & Sardinenses duæ triremes, aliud navigium piraticum Tunetanum sub suam redactam potestatem, Melitam abduxisse.

Venetis, a. d. 9. Maii. Quæ ex Dalmatia appulsæ fuerant naues, exacto dierum 21. spatio, quod sanitati probandæ præfixum fuerat, merces suas exponendi libertatem obtinuerunt. Duos Bavaricos principes proxime huc denuo venturos aiunt, vt sacris, quæ die Ascensionis Dominicæ ad Cælos solemniter

ter celebrabuntur, interesse queant. Schrottenbachium quoque *Cardinalem*, Roma reducem, per hanc transiturum urbem, atque Olmutium ad Episcopem suam profecturum ferunt.

Parisis a. d. 27. Aprilis. In Britanniam minorem proxime militum quædam deducuntur cohortes, vt eius regionis incolæ compellantur, ad leges, quæ consuetudine olim abolitæ fuerunt, nunc autem a rege denno sunt instauratæ, suscipiendas. Hesterno die, Rohanius Purpuratus præsentibus, duce Aurelianensi, Principibus Regiæ stirpi adnexis, atque omnibus ex aula proceribus, qui litteris propterea euocati fuerant in templum, Albinum Abbatem, cui Episcopo Laudunensis euenit, solemnem cerimoniam inaugurauit. Anguessanio quinquaginta oblatum iri, ajunt, librarum gallicarum millia, si quidem is munere se Cancellarii abdicare voluerit; filio autem ejus, dignitatem præsidis in oppido Galliæ haud ignobili destinari, commemorant. Peyratus, chirurgus ex eorum numero, qui feminis parturientibus præstare solent obstetricium, his diebus Mantuam Carpetanorum profectus est, vt Regiæ Hispanicæ, quæ jam quinque menses ventrem fert, valetudinem curaret. Auspiciis præcipue Noallii, *Cardinalis*, accidit, vt Garnotus in locum surrogaretur Ludronii, qui præterito anno, in diœcesi, quæ a diuo Nicolao accepit nomen, diem suum obierat. Præstituta quidem solemnem Regis inaugurationem prima septembris fuerat dies, eamque ob causam illi, qui militibus prætorianis, Heluetiis pariter ac Gallis, præfecti sunt, in mandatis acceperant, vt 24. Augusti ex hac urbe exirent, & ad Remorum urbem castra ponerent; at enim, cum illo mense, vindemiarum

ingruit tempus, & varia facile suboriri possunt incommoda, loco diei primæ Septembris 15. Octobris tanta solennitate insignis erit. Rex non nisi tres & decem dies ex vrbe abesse constituit, vtpote qui octo dies impendet itineri, quinque autem reliquos Remis inter ceremoniarum solemniam, & lætas adclamations, transiget. Sex Galliæ primores, quos *Pares* seculares vocamus, illo repræsentabuntur tempore. Ducis Burgundiæ personam sustinebit dux Aurelianensis; Ducis Normanniæ, dux Carnutensis; ducis Aquitaniæ, dux Bourboniæ; *Comitis* Flandriæ, *comes* Carolelii; *comitis* Tolosani, *comes* Clermontanus; *comitis* Campaniæ, princeps Contius, qui omnes se nunc tam magnis honoribus præparare conspiciuntur. Posteaquam Contia Princeps nulla profus ratione reduci potuit in concordiam cum marito, & Regem denuo rogauit, vt disiunctæ sibi deinceps viuere liceret a thoro & mensa mariti, hic aliis nunc litteris a Rege petiit, vt vxori vel reditus in thalamum, vel discessus in monasterium iniungeretur. Quid rerum edicturus sit Rex, proximo forte tempore commemorare poterimus.

Alia indidem a. d. 1. Maji. Præteritis diebus, Maffei Pontificis Romani Orator extraordinarius, qui Titulo Archiepiscopi Atheniensis ornatus est, a ceremoniarum Magistro ad Regem adductus & ab eo auditus fuit. Heri Rex cum Villaregio, & Claromontano venatum exiit in viuarium vincennense, quos hodie Regina cum Ventadouria sequitur. Raousius pictor celebris, quem dux Vindocinensis secum habet a duce Aurelianensi mittetur in Hispaniam, vt omnem Regiam gentem in tabulis depictam secum adferat, & in Regis collocet tabulario. Posteaquam Aguilarius

rius comes, quem Rex Hispaniæ Mantua Carpetanorum exire iusserat, voluntati Regis minus obsequutus, suis se aliquandiu continuerat ædibus, rex ira commotus, milites protinus misit, qui eum arreptum, in Castellum S. Antonii captivum abduxerunt. Quid causæ fuerit, quam obrem ille, præter omnium opinionem, e regis exciderat gratia, id nemo adhuc hariolari potuit. Sunt qui Leedium Marchionem, ab Hispanorum Rege ad nos missum, propediem in hac vrbe fore, dicunt, quid autem rerum ille allaturus sit, futuro forte tempore edocebimur.

Londini die 28. Aprilis. Exeunte, qui proxime imminet, mense, Rex Hannoveram proficiscetur. Nudius enim tertius, Hartopius Baro, qui Regi est a secretioribus Epistolis, cum quibusdam aliis ex aula hominibus, se in viam dedit, vt, quæ Regi in itinere sunt necessaria, rite pararet, & rei veredariæ præfectos, de Regis aduentu certiores redderet. Ieningius, eques, classi, qua Rex traiciet in Belgium, præficietur. Duo autem alii, quos regni commentarienses esse, dicunt, stant in prociuctu, regem in Germaniam sequuturi. Nudius tertius Guilelmi Augusti Principis illuxerat natalis, qua propter omnes exterorum Regum principumque legati, & alii viri nobiles gratulatum in aulam venerunt. Princeps Valliæ femina, semel iterumque precibus institisse, dicitur, apud Regem, vt Amaliæ, & Carolæ variolas inferi iuberet a medicis, a quo tamen consilio Regem prorsus abhorrere, audiimus. Iaksonius tabulas a rege accepit, quibus illi uni potestas facta est conficiendi, vendendique machinam, ab ipso inuentam, qua instructus, mediis in fluctibus, haud submergi poterit. Robethonius,

qui Regi a consiliis, & epistolis fuit, quæ in Germaniam mittuntur, nudius quartus in palatio, D. Jacobi, quod dicunt, fati concessit.

Hagæ Comitum, a. d. 6. Maii. Nudius ab hinc quartus cursor Londino missus ad Ayrolesium regis Magnæ Britanniae legatum accessit, eique nuntiauit, superiori die Jouis *Comitem* Sunderlandium, laterali dolore, quem pleuritidem vocant correptum, vitam cum morte commutasse, relicto haud paruo apud bonos omnes, inprimisque apud regem ipsum sui desiderio. Idem ille cursor Hannoveram protinus discessit, indeque Berolinum sine mora triste hoc nuntium perlaturus dicitur, Whitworthioque significaturus, vt Londinum quamprimum inde redeat, eum enim rex mandatis necessariis instructum, ad Cameracensem conuentum mittere decreuit.

Alia, a. d. 10. Maij. Princeps Kurakinus, Czär Russiæ legatus, proxima die Veneris, consilia cum nonnullis proceribus contulit. Sunt, qui adfirmant, decreuisse iam proceres, vt classicula aduersus piratas Algerianos mittenda, nauibus aliquot augeatur, & in portibus Hispaniæ proximam hiemen tranfigat.

Ex prouinciis, quas Albis stringit inferior a. d. 5. Maij. Iter, quod Imperator Russorum Astracanam versus suscipere constituit, vix ante 1. Maii futurum esse coniecimus; propter negotiorum autem multitudinem, quæ in eo ipsi regno expedienda sunt, mense Octobri haud citius, eum inde reducem videbimus. Vt autem ea, quæ animo iam pridem destinavit, & molitus est, exequeretur feliciter, triginta circiter militum millia imperavit, quos Astracanam deductos, suis ipse præsens reget

reget auspiciis. Interea Petriburgi omnia quam diligentissime parantur ad bellum, & in finibus Curoniæ ubi nonnullæ Cosaccorum expectantur cohortes, milites magno numero conscribuntur. Neque tamen ante Imperatoris reditum quicquam a classe Russorum tentatum iri, existimamus. Quæ de insolita commeatum; frumentorumque copia, & milite a duce Megapolitano subinde collecto, litteræ Gedanenses adtulerant, ea vana fuisse comperimus. Si quid litteris Archangelopoli ad nos perlatis credere libet, in mari, ut dicitur albo sexaginta, siue, ut aliæ commemorant litteræ, septuaginta triremes construuntur, quæ expeditioni cuidam destinatæ, variis occasionem præbent sermonibus. Sunt tamen qui ejusmodi expeditionem bellicam tantisper iri dilatam, arbitrantur, dum Imperator Russorum ex Astracano redux factus, eidem ipse præesse poterit. Quæ de fœdere, quod cum Galliæ Hispaniæque Regibus pepigisse credebatur imperator Russorum, fama jactauerat, ea valde incerta, dubiaque esse cognouimus. Posteaquam solemne illud Sacramentum, quo ratum se habituros, promiserant omnes, quicquid de regni hærede statuerit Russorum Czâr ab omnibus Russiæ populis præstitutum fuit, nihil amplius de eo, cui Imperator tribuere cupit tam opimam hæreditatem, audiimus.

Lipsiæ, a. d. 15. Maij. Principis Regio-Electoralis coniux serenissima, quæ nuper prima vice urbem nostram est ingressa, a Magistratu vrbsis congio aureo, & ingenti numorum aureorum donata fuit pondere.

Petriburgi, a. d. 10. Aprilis. Fama est Imperatorem nostrum exeunte mense Maio Moscua relicta ad nos rediturum,

quo tempore Classem ad soluendum paratam esse oportebit; quandoquidem vero copiæ omnes, quæ in Estonia atque Ingria fuerunt Rigam versus abire sunt iussæ, easdem ibi nauibus impostum iri existimamus.

Moscua, a. d. 3. Aprilis. Czâr Russorum Olonicio redux factus, cum proceribus de salute reipublicæ, quam diligentissime consilia confert. In eo autem inprimis omnis illi cura versari videtur ut sibi dominium in mare Hyrcanum adferat, & commercia cum Persis inita magis magisque stabiliat. Ipsemet ad iter Casanum & Astracanam versus instituendum adiectus, ingentem militum, remigum, commeatum aliarumque rerum ad belli usum pertinentium vim ex hac vrbe aliisque locis, in eas regiones auehi iussit.

Warsavia, a. d. 13. Maij. Quem non ita pridem summus copiarum regni Dux miserat exploratorem, eum reducem factum retulisse aiunt, Principi Walachiæ, quem Hospodar vocant, nuntiatum esse, Tartaros Crimenses aduersus Chamum suum insurgendo tumultibus omnia compleuisse.

Vienna, a. d. 20. Maij. Princeps Raziuius, qui hic ab aliquo tempore commoratus fuit, hesternæ die veredis usus, in Poloniam rediit.

Alia, e. d. 23. Maij. Baro Zum-Iungenius, copiarum Cæsarearum in Sicilia Dux, qui rerum ad Siciliæ regnum pertinentium causa hic tantisper fuerat, salutato Imperatore, in Siciliam cursorio vectus rediit. Naues aliquot, quibus vestes militares aliæque res ad belli usum necessariæ, pro legione Dau-niana, quæ Essecum præsidio firmat, inpositæ fuerunt, secundo Danubio hinc sunt dimissæ.